

De bonis jurisdictionalibus ad Ecclesias, & loca pia spectantibus in feudum, vel emphyteusim non dandis, neque ultra triennium locandis, aut concessionibus hujusmodi renovandis, sive prorogandis.

De non alienandis vero bonis Ecclesia, vel ultra triennium locandis, generales extant nonnulla Pontificia prohibitiones alias per me innotuit: ac praesertim Constitut. IX. Leonis I. Occasio. Tom. I. fol. 39. & Constitut. VI. Pauli II. Ambitiosa. Tom. III. Par. III. fol. 125. De non alienandis autem, & infundandis Terris Sanctae Romanae Ecclesiae specialis extat prohibitio, vide Constitut. LIII. Pii V. Admonet. Tom. IV. Par. II. fol. 364.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Humane salutis Auctor Christus Dominus Romanam Ecclesiam amplissima temporalis ditionis prerogativa decoravit, quam voluit inferioribus etiam Ecclesiis aliqua ex parte communicari, ut filiarum decor matris augetur in Summis Pontificibus majestatem, quibus cum Ecclesiarum omnium regimen incumbat, illarum quoque omnium tutelam ad Apostolicam eorum providentiam necesse est pertinere.

Causae facienda prohibitionis.

§. 1. Olim equidem quamplurimi inferiorum Ecclesiarum Praelati, ut strenuos, ac praestantes virtute viros haberent, qui debitum sibi, & Ecclesiis suis impenderent famulatum, temporales ditiones ad easdem Ecclesias pertinentes eximiorum virorum fidei, atque administrationi commiserunt: tempore vero praecedente dilabentibus in deterius bonis institutis factum est, ut nonnulli Ecclesiarum Praefules humanis potius affectibus, quam meritorum intuitu moti, ditiones temporales hujusmodi variis personis, & Universitatibus in feudum, vel emphyteusim dare, vel ultra triennium locare; & rursus occurrente earum ditionum temporalium devolutione, ad novam infeudationem, seu investituram, vel locationem ultra triennium sub specie, quod illae in feudum, vel emphyteusim dari, vel ut praefertur locari sint solitae, seu alias causas praetendentes, devenire consueverunt, quod in non modicum Ecclesiarum ipsarum damnum, & praerudicium tendere usu comperitum est.

Prohibitio, de qua in Rubrica.

§. 2. Nos itaque nostri muneris partes adimplendo, praemissis obviam ire, necnon Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum piorum quorumcumque indemnitati, ac juri eis quomodolibet competentium conservationi, quantum Nobis ex alto conceditur, providere volentes, Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de apostolica potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo

valitura Constitutione omnibus, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & Generalibus, ceterisque Ecclesiarum, & locorum piorum utriusque sexus Praefulibus, Praelatis, Praedictibus, Rectoribus, Praeceptoribus, Commendatariis, & Administratoribus cujuscumque status, gradus, dignitatis, & praerogativae existant, etiam Cardinalatus honore praefulgeant, necnon Capitulis, etiam Generalibus, & Provincialibus, Conventibus, Collegiis, Sodalitatibus, etiam laicorum, & quibuscumque aliis Superioribus cujuscumque Ordinis, Societatis, vel Instituti, etiam de necessitate exprimendi, aut Militiarum etiam S. Joannis Hierosolymitanum in universa Italia, etiam in quorumvis Principum secularium quomodolibet qualificatorum, etiam Ducali, Regia, Imperiali, vel quavis alia dignitate, honore, vel excellentia praestantium ditione temporalis existentibus, si Pontificali, vel Abbatiali emineant dignitate sub Interdicti ingressu Ecclesiae: ac, si per sex menses immediate subsequentes sub Interdicto hujusmodi permanent, lapsis mensibus eisdem sub regimine, & administratione Ecclesiarum, vel Monasteriorum, quibus praesident, in spiritualibus, & temporalibus suspensionis; Capitulis vero, Conventibus, Collegiis, Sodalitatibus, & Universitatibus praedictis sub Interdicti a divinis, eorumque singularibus personis, ac inferioribus Praelatis, Commendatariis, & aliis praefatis sub excommunicationis latae sententiae, ac omnium dignitatum, beneficiorum, & officiorum ecclesiasticorum, de quorum rebus, & bonis contra praesentis Constitutionis tenorem eos disponere contigerit, vocisque activae, & passivae privationis, & perpetuae inhabilitatis ad illa, seu quaelibet alia imperpetuum obtinenda ipso facto, etiam absque iudicis ministerio, vel sententia incurrendis poenis, ne de cetero Civitates, Terras, Castra, Oppida, Villas, Arces, Fortalitia, Munitiones, Territoria, Districtus, Jurisdictiones, aut quaevis alia loca, vel bona jurisdictionalia, seu quovis modo jurisdictionem temporalem etiam cum alio, vel aliis conjunctim, seu divisim, aut alias quomodolibet annexam habentia, aut eorum, seu jurisdictionis partem, etiam minimam ad Patriarchales, Primatiales, Metropolitanas, Episcopales, & alias Ecclesias, Monasteria, Collegia, vel loca pia supradicta nunc, & pro tempore quovis modo spectantia, & pertinentia, tam quae ad praesens per Ecclesias, Monasteria, & loca hujusmodi pleno jure possidentur, quam ea, quae in feudum, vel emphyteusim concessa, vel ultra triennium locata per quoscumque quomodolibet, & sub quibuscumque praetextibus occupata, seu usurpata reperiuntur, aut ad Ecclesias, Monasteria, & loca praedicta jam de praesenti forsitan de jure, vel de facto reversa, seu devoluta sunt, etiam si Ecclesiis, Monasteriis, locisque piis hujusmodi adhuc incorporata, & de eorum mensa effecta non sint, aut quandocumque perpetuis futuris temporibus per lineam finitam, Canonem

Obstaculum derogatio.

non solum, delictum perpetratum, vel alio quocumque modo revertentur, seu devolventur in futurum: etiam si ex antiqua, seu immemorabili consuetudine, aut etiam privilegio Apostolico, quacumque ob causam concessa, & iteratis vicibus approbata, in feudum, vel emphyteusim concedi, vel ultra triennium locari, aut finita concessione, vel locatione hujusmodi feuda, investitura, vel aliae concessionis renovari consueverint, quibusvis personis, quavis ecclesiastica, seu mundana dignitate, vel excellentia fulgentibus, ac speciali nota dignis, Capitulis, Collegiis, Ecclesiis, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, Hospitalibus, & quibusvis Universitatibus, tam secularibus, quam Ecclesiasticis, aut quibuscumque aliis quocumque nomine, ac titulo nuncupatis, & quomodolibet qualificatis, in feudum, vel emphyteusim concedere, aut ultra triennium locare, aut concessionem, investituram, & locationem hujusmodi post finitum illarum tempus, vel alias quandocumque renovare, prorogare, vel de novo facere, etiam ad favorem descendendum, haeredum, vel consanguineorum illorum, qui Civitates, Terras, & bona jurisdictionalia praedicta obtinuerint, possederint, vel occupata detinuerint, etiam intuitu meritorum, etiam si concessionem, & alia praemissa in evidentem, immo evidentissimam utilitatem Ecclesiae, Monasterii, vel loci pii cedant, aut concessionibus, investituris, locationibus, vel illarum renovationibus, aut prorogationibus consentire, aut aliud scripto, verbo, vel alio quovis modo, per quem dictae Civitates, Terrae, & bona jurisdictionalia hujusmodi ad Ecclesias, Monasteria, & loca pia praedicta, sive eorum Praelatos, Superiores, Rectores, seu Administratores non revertantur, etiam si praedictis concessionibus, investituris, renovationibus, prorogationibus, & aliis praemissis nostrum, & Sedis Apostolicae beneplacitum, etiam cum clausula, & non alias aliter, nec alio modo, reservetur, & nisi illo in scriptis tantum prius obtento, facere audeant, vel praesument, ultra alias poenas per canonicas sanctiones desuper quomodolibet inflictas districte interdicimus, & prohibemus.

§. 3. Et insuper quascumque concessionem, investituram, locationem, vel illarum prorogationem, & revocationem, quas contra praesentium tenorem quocumque modo, & quovis tempore fieri contigerit, prorsus nullas, & effectu omnino careere debere.

§. 4. Sicque in praemissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & ejusdem Camerae Apostolicae Thesaurarium, & Clericos, necnon Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definituri debere, & quicquid fecerit super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum, & inane decernimus, & declaramus.

Pena nullitatis actus.

Clausula.

§. 5. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, etiam in corpore juris insertis, ac etiam in favorem quarumcumque Ecclesiarum, Provinciarum, Civitatum, Universitatum, Collegiorum, Capitulorum, & Locorum Piorum, eorumque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militiarum etiam S. Joannis Hierosolymitanum, necnon Congregationum, & Societatum, & cujuscumque alterius Instituti, etiam necessario, ut praefertur, & individuo exprimendi, eorumque Monasteriorum, Conventuum, & domorum Regularium, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, indultis quoque, & privilegiis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, etiam irritantibus decretis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, ad alias quomodolibet concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generalis idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, & forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, quo ad ea, quae iidem praesentibus adversantur, illis aliis in suo robore permanentibus, harum serie specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, quod de cetero Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi, necnon Abbates, Praefules, Praelati, alique praefati in aliis juramentis ab iis praestandis, de praesenti etiam Constitutione servanda omnino jurare teneantur.

§. 7. Ipsaque Constitutio in quintero Cancellariae Apostolicae describatur.

§. 8. Quodque praesentes ad valvas Lateranen., & Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, & dictae Cancellariae, & in acie Campi Florae publicentur, & sic publicatae omnes, & singulos, quos concernunt, & concernent in futurum, perinde ardeant, & afficiant, ac si eis, & eorum cuilibet personaliter intimatae forent.

§. 9. Earundemque transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Praelati, seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, in iudicio, & extra illud eadem prorsus fides adhibetur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri interdicti, prohibitionis, decreti, declarationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentaverit, irritum, & inane decernimus, & declaramus.

Juramentum de observanda praesenti Constitutione.

Ejusdem publicatio.

Transumptis eadem fides.

Clausula penales.

frui, & gaudere, non permittentes eos desuper per quoscumque quomodolibet indebite molestari: Contradictores quoslibet, & rebelles per censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, ac sententias, censuras, & poenas ipsas servata forma Concilii Trid. etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Obstantium derogatio.

§.10. Non obstantibus præmissis, & quatenus opus sit, nostra de non tollendo jure quæsito, ac fel. record. Pii Papæ IV. etiam Prædecessoris nostri sub Datum videlicet Octavo Idus Augusti Pontificatus sui Anno sexto edita, inter alia disponente, quod omnes gratiæ qualescumque interesse Camere concernentes infra certum inibi expressum tempus in eadem Camera presentari, & registrari debeant, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Urbis, & aliarum quarumcumque Civitatum, Locorum, Oppidorum, Districtuum, necnon Collegiorum, Monasteriorum, Ecclesiarum, & aliorum Piorum, & non Piorum locorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, reformationibus, decretis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indulgentiis, & Literis Apostolicis, exemptionibus, immunitatibus, & concessionibus Officiorum, & Notariatuum, etiam titulo oneroso, tam a Nobis quam a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, & Camera prædicta, etiam per viam contractus, seu alias quomodolibet tam prædictis omnibus, & singulis, quam etiam Judicibus, Officialibus, Scriptoribus, Notariis, eorumque Collegiis, & Superioribus, dictæque Camera, ejusque causarum Auditori generali, & Procuratori Fiscali, aliisque etiam personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu simili, etiam consistorialiter, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, ac innovatis, & in futurum concedendis, approbandis, confirmandis, & innovandis: quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad id servanda foret, tenores hujusmodi presentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, hac vice damtaxat etiam motu hujusmodi specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, & mandamus, contrariis quibuscumque. Aut si quibusvis communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Præsentium faciendâ publicatio.

§.11. Volumus autem, quod eadem præsentibus una cum Capitulis, ut præfertur, faciendis, ut omnibus innotescant, ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de ea-

dem Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ prædictæ, ac in acie Campi Floræ publicentur, & affigantur, dimissis inibi earum copiis, quæ perinde omnes ardent, ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent.

§.12. Quodque earumdem præsentium, & Capitulorum, ut præfertur, concisionum transumptis, & exemplaribus etiam impressis, ac manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis ea prorsus fides adhibeatur, tam in iudicio, quam extra, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§.13. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostræ erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, præcepti, constitutionis, deputationis, impartitionis, decretorum, derogationis, mandatorum, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorum, Anno Incarnationis Dominicæ 1625. 16. Kal. Dec. Pont. nostri Anno III.

Transumptis que adhibenda fides.

Clausula poenales.

Dat. die 16. Dec. 1625. An.III.

Anno a Nativ. D.N.J.C. 1626. indit. 9. die vero 17. mensis Julii, Pont. S.S. in Christo Patri. & D.N.D. divina provid. Urban. VIII. anno ejus III. suprad. literæ una cum Capitulis lectæ, affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ S. Petri Principis Apost. de Urbe, Cancell. Apost. & in acie Campi Floræ, dimissis ibidem presentibus literis, & capitulis per aliquantulum temporis spatium, ut moris est, affixis, & deinde amotis. postea affixis copiis earumdem literarum cum eisdem capitulis in eisdem locis per nos Tarquinium Majorum Roman. & Jo. Bapt. Spadam de Cesis Apost. Cur. Augustinus de Bolis pro Mag. DD. Curf.

CLVIII.

Confirmatio Literarum Pii Papæ V. pro Sacra Domo Lauretana super notificandis Legatis in favorem ipsius Domus factis.

Ex Regest. in Secret. Breve.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

EX injuncti Nobis desuper apostolici muneris debito jurium Almæ Domus Lauretan. conservationi sedulo incumbentes, ea, quæ propterea a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris provide facta fuisse comperimus, quo firma perpetuo, & illibata remaneant, inviolateque observentur, apostolicæ firmitatis munimine roboramus, prout conspiciamus in Domino salubriter expedire.

Procciam.

§.1. Dudum siquidem a felicis recordationis Pio Papa Quinto Prædecessore nostro emanarunt Literæ tenoris subsequenti, videlicet. Ad perpetuum rei memoriam. Ad Romani Pontificis spectat officium opportunis providere remediis, ne Ecclesiæ, & alia

Recensetur Pii PP. V. Literæ.

Quibus injungitur Tabellarius, ut reliqua Ecclesiæ Lauretanæ significant.

& alia Pia Loca; præsertim Romanæ Ecclesiæ immediate subjecta, & in honorem Gloriosissimæ Dei Genitricis dedicatæ, suis tam spiritualibus, quam temporalibus bonis aliquorum malitia, vel negligentia fraudentur. Sane nuper ad aures nostras non sine dolore pervenit, quamplures Christifideles personas diversarum Civitatum, & Locorum tam in Italia, quam extra eam multas, variasque pecuniarum summas, & res, ac Bona Ecclesiæ Beatae Mariæ Virginis de Laureto nuncupatæ, Nullius Diocesis, devotionis causâ reliquisse, donasse, aut alias concessisse, de quibus certa notitia propter incuriam, & negligentiam Notariorum, qui in dictis Civitatibus de relictis, donationibus, & concessionibus hujusmodi rogati fuerunt, aut aliarum personarum, quæ de illis scripturas confecerunt, hætenus haberi non potuit, nec potest in præsentem, undè dicta Ecclesiæ non modicum sensit detrimentum. Nos igitur, ne Ecclesiæ præfata pecuniis, rebus, ac bonis hujusmodi defraudetur, atque immodicis sumptibus per Commissarios pro eorum exactione fieri solitis exoneretur, ipsasque pecunias, res, & bona eadem Ecclesiæ facilius consequatur, de aliquo opportuno remedio providere, ipsasque Ecclesiæ indemnitati, quantum cum Domino possumus, prout teneatur, consulere volentes, motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de apostolica potestate plenitudine omnibus, & singulis Civitatum, Terrarum, Gastrorum, & aliorum locorum quorumcumque Notariis, aliisque personis, ex quorum tam publicis, quam privatis scripturis constare quovis modo potest, aut poterit in futurum de aliquibus pecuniarum summis, rebus, ac bonis, cujuscumque quantitatis, qualitatis, generis, ac valoris extiterint, quæ Ecclesiæ prædictæ pure, vel conditionaliter, aut alias quomodocumque saltem a triginta annis citra in aliqua ultima voluntate relicta, vel inter vivos donata, vel quomodolibet concessa, aut promissa fuerint, aut imposterum relinquuntur donabuntur, concedentur, aut promittentur, in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo, & sub privationis suorum officiorum, ac solutionis dupli pecuniarum, rerum, ac bonorum prædictorum, pro una videlicet ipsi Ecclesiæ, & altera medietatibus solutionis dicti dupli accuatori, & exequutori æqualiter inter eos dividendis, applicandis poenis præcipimus, & mandamus. Et insuper hac nostra in perpetuum valitura ordinatione, & Constitutione sub eisdem poenis statutimus, & ordinamus, ut de cætero perpetuis futuris temporibus Notarii, & personæ prædictæ omnes, & singulas dispositiones in favorem dictæ Ecclesiæ a quocumque, & quomodocumque constare potest, in Italia intra trium, extra vero eam infra octo mensium spatium, si eas per viam ultimæ voluntatis fieri contigerit, a die mortis dispositionum, si vero inter vivos a die solutionis faciendæ computandum: Dispositiones autem jam factas, infra simile spatium a

die tamen intimationis presentium sibi etiam per earumdem presentium, vel earum transumptorum, ut infra scribendorum, ac sigillandorum assionem ad valvas Cathedralium Ecclesiarum in Civitatibus, & Insignium Ecclesiarum in Terris, Castris, & Locis prædictis facien. computan. Gubernatori pro tempore existenti ipsius Ecclesiæ, seu personis ab eo pro majori commoditate eorumdem Notariorum, & aliarum personarum in certis præcipuis Civitatibus, seu Locis ejus arbitrio ad hoc deputandis revelare, ac notificare; Prædicti vero deputandi ipsum Gubernatorem notificationum, & denuntiationum sibi per Notarios factarum hujusmodi singulis quibuscumque mensibus certiorum facient, & eisdem notificationes, ac denuntiationes in libris suis, etiam ad hoc specialiter confectis, vel concipiendis manu propria annotare, eisdemque libros ad Gubernatorem præfatum, quoties ab eo super hoc requisiti fuerint, mittere, aut deferre, necnon, ut idem Gubernator denuntiationes, & notificationes non solum Notariorum, & aliarum personarum, sed etiam deputandorum prædictorum annotare, seu manu Cancellarii ipsius Ecclesiæ annotari facere in libro ad hoc etiam specialiter confecto, vel concipiendo; dictosque libros in fine sui officii, suo in officio Gubernatoris immediate successori coram Notario ad hoc specialiter vocato, & rogato consignare respective teneatur, & debeant, & unusquisque eorum teneatur, & debeat. Quoniam vero Commissarii Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe vigore nonnullorum privilegiorum a diversis Romanis Pontificibus eidem Fabricæ super exactione certorum legatorum concessorum quintam partem legatorum ipsi Ecclesiæ de Laureto relictorum exigendi facultatem habere prætendunt; Volumus, & eisdem Fabricæ prædictæ Commissariis nunc, & pro tempore existentibus, motu, & scientia, ac potestate similibus, etiam districtè præcipiendo mandamus, ne imposterum vigore præfatorum, aut quorumcumque aliorum privilegiorum quintam partem prædictam, nisi postquam de Ministrorum ipsius Ecclesiæ in exigendis dictis legatis negligentia constiterit, exigere possint, audeant, ve, aut præsumant, quodque negligentiam prædicti Ministri, non aliter quam si infra annum in Italia, vel infra biennium extra eam a die, quo denuntiationes, & notificationes prædictæ Gubernatori, vel deputandis prædictis factæ fuerint, vel si denuntiationes, & notificationes prædictæ factæ non fuerint infra biennium in Italia, & quinquennium extra eam a die mortis testatorum, seu aliis disponentium computan. legata hujusmodi non exegerint, aut desuper litem contra hæredes, aut alios eorumdem legatorum debitores non moverint, incurrisse censentur. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac privilegiis dictæ Fabricæ concessis, quorum omnium tenores

Ex Regest. in Secret. Breu.

Indultum, ac Decretum, ut Festum Sancti Bernardi fervetur de precepto in Dominis Reipublicæ Genuensis, ac in Regno Corsicæ.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Apostolatus officium, nullo licet meritorum suffragio, Nobis ex alto commissum postulat, ut in his, per quæ Sanctorum Christi Confessorum cultus, & veneratio in dies magis augeatur, ejusdem officii partes propensius studiis impendamus, piisque Christianis in id tendentibus votis benignum præbeamus assensum: prout conspiciamus in Domino salubriter expedire.

Genuensium preces.

§.1. Sane nomine dilectorum filiorum Nobilium Virorum Ducis, & Reipublicæ Januæ. Nobis nuper expositum fuit, quod cum ipsi in novissimis bellorum tumultibus Sancti Bernardi opem sæpius imploraverint, eundemque in Patronum, & Protectorem solemnibus votis elegerint, pro eo, quem erga ipsum gerunt, devotionis affectu, atque aut grati animi erga illum impofterum extet monumentum, ejusdem Sancti Bernardi festum diem de cætero tamquam de precepto, ut infra, servari, & propterea sibi per Nos desuper opportune provideri, summopere desiderant.

Indultum, de quo in Rubr.

§.2. Nos piis eorumdem Ducis, & Reipublicæ desideris in præmissis annuere, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus Præpositorum consilio, eisdem Duci, & Reipublicæ, quod de cætero perpetuis futuris temporibus in universa ejusdem Reipublicæ ditione temporali, quam continentem appellant, necnon in Regno Corsicæ, aliisque subjectis Insulis ipsius Sancti Bernardi natalitius dies tamquam festum de precepto ab omnibus utriusque sexus Christianis Ditionis, Regni, & Insularum hujusmodi fervetur, ac servari omnino debeat, apostolica auctoritate, tenore præsentium, concedimus, & indulgemus, ac decernimus, & declaramus.

Ordinariis Locorum Decretis hujus designantur exequutores.

§.3. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, cæterisque locorum Ordinariis in Ditione, Regno, & Insulis prædictis constitutis per præsentem præcipimus, & mandamus, quatenus eandem præsentem in suis quibusque Ecclesiis, &

Dioecesis publicari faciant, ac omnes, & quoscumque sibi subjectos ad prædicti festi celebrationem omnibus juris remediis cogant, atque compellant, super quo plenam, & amplam illis per præsentem concedimus facultatem.

Contraria quæque tollantur.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis.

§.5. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quæ ipsi præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 12. Nov. 1625. An.III.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die duodecima Novembris 1625. Pontificatus nostri Anno III.

CLVI.

Exemptio ab Ordinariorum jurisdictione, Hospitali S. Antonii de Sancto Antonio Viennensi a nonnullis Romanis Pontificibus concessa confirmatur, iis exceptis, quæ respiciunt curam animarum, & Sacramentorum administrationem.

Ex Regest. in Secret. Breu.

URBANUS PAPA VIII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Abbas, & Religiosi Hospitalis Sancti Antonii de Sancto Antonio Viennensi Ordinis Sancti Augustini, quod aliis felicis recordationis Bonifacius Octavus, Sixtus Quartus, Leo Decimus, Clemens Septimus, & Paulus Tertius Romani Pontifices Prædecessores nostri, Abbatem pro tempore, necnon Præceptores, Priores, & Religiosos, ac Monasteria, Ecclesias, Præceptorias, cæteraque Beneficia Hospitalis, & Ordinis prædictorum, etiam curam animarum habentia ab omni jurisdictione, potestate, subjectione, dominio, & vilitatione Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & Ordinariorum quorumcumque, necnon quarumvis gabellarum, dationum, impositionum, onerum, gravaminum, jucundorum, & aliorum similium solutione exemerunt, & liberarunt, illosque, ac illas, & illa sibi, ac Sedi Apostolicæ immediate subjecerunt.

Nonnulli Pontifices hunc Ordinem ab Episcoporum jurisdictione liberum esse voluerunt.

§.2. Cumque exemptio, & liberatio, ac subjectio hujusmodi per dictos Prædecessores

Sed cum Dubium exortu res

fit an hæc exemptio sit per Concilium Tridentinum sublata.

Urbanus eam confirmat iis tamen exceptis, quæ curam animarum respiciunt.

Clausula.

Derogatio contrariorum

res facta, per subinde subsequutum Sacrum Concilium Tridentinum revocata, & annullata ab aliquibus prætenderentur; Abbasque, ac Religiosi prædicti plurimum cupiant exemptionem, & liberationem, subjectionemque prædictas, ne de illarum validitate ullo unquam tempore dubitari possit, apostolica nostra confirmationis robore communi;

§.3. Nos eosdem Abbatem, & Religiosos specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; de Ven. Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Concilii prædicti similiter interpretum Concilio, exemptionem, liberationem, & subjectionem per Prædecessores nostros prædictos factas, apostolica auctoritate, tenore præsentium, præterquam tamen in his, quæ curam animarum, & Sacramentorum administrationem concernunt, ac his, quæ in Literis pia mem. Gregorii Decimiquinti desuper editis continentur, approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robar adjicimus, ac omnes, & quoscumque juris, & facti defectus, si qui in eisdem intervenerint, supplemus: ac de cætero, quatenus opus sit, Abbatem, Præceptores, Priores, & Religiosos, necnon Ecclesias, Monasteria, Præceptorias, & alia quæcumque Beneficia Hospitalis, & Ordinis prædictorum, Nobis, & Sedi prædictæ immediate subicimus, ac illos, & illas, illaque respective, dummodo, & quando hospitalitatem hujusmodi retinuerint, & exercuerint, minime sub revocatione, sed sub exceptione prædictis comprehendendi declaramus.

§.4. Decernentes, præsentem Literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, dictisque Hospitali, & Ordini, necnon illorum Abbatibus, Præceptoribus, Prioribus, & Religiosis plenissime suffragari. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, ac definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis Bull. Rom. Tom.V. Par.V.

aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decimaquarta Novembris 1625. Pontificatus nostri Anno III.

Dat. die 14. Nov. 1625. An.III.

CLVII.

Institutio Archivi Generalis in Urbe

Plura de Archivis invenies, & præcipue in Constitut. XIX. Julii II. Sicut. Tom.III. Par.III. fol.299.

URBANUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii Nobis, meritis licet imparibus, divina dispositione inuncti solitudo assidue cor nostrum pullat, & commovet, ut non solum ad ea, quæ animarum salutem respiciunt, verum etiam quæ ad populorum, præsertim Almæ Urbis nostræ, ac Nobis, & Sedis Apostolicæ temporali ditioni subditorum utilitatem, pacem, tranquillitatem, perpetuamque securitatem pertinere noscuntur, vigilantia nostræ aciem dirigamus, & præsertim noxis illis, quæ ob non adhibitam satis exactam diligentiam in conservandis tam publicis, quam privatis Scripturis inter subditos nostræ gravi cum nostra, eorumque molestia, solunarumque suarum jactura frequenter exiri, & vigere intelligimus, commoda aliqua ratione provideamus: & pro felici progressu eorum, quæ propterea a Nobis ordinantur, illorum curam egregiorum virorum prudentiæ demandemus, quorum opera, & studio feliciter gubernentur, ac lite facilius terminentur, prout pro Justitiæ complemento, & subditorum eorumdem que conspiciamus in Domino salubriter expedire.

Proœmium.

§.1. Cum itaque ex multiplicitate, & diversitate Notariorum Urbis, & aliorum etiam ex eis imperitia, & negligentia, ac Instrumentorum, & aliarum Scripturarum confusione, ac incuriosa custodia, plurimæ damna, & incommoda Subditis nostris, aliis irrogari, maximum etiam detrimentum fidei publicæ in dies inferri, eandem que non parvo in discrimine falsitatum, fraudum versari; vicissim vero ex diligentia eorumdem Instrumentorum, & Scripturarum cura falsitates, & fraudes omnes evitari, dominia rerum, ac iura unicuique conservari, aliisque non modica pervenire bonis exploratum, & abunde perspectum habentes, & in plerisque dominiis, & regionibus exteris, ac etiam Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum auctoritate fere in omnibus Civitatibus, & locis Status nostri Ecclesiastici publicæ, & generalis, & in ipsamet Urbe nostra quædam particu

Cause instituendi Gen. Archivium in Urbe.

laria, Capitolinum videlicet, & Romanae Curiae, & forsitan alia Archivia erecta, & instituta fuisse; ex eis tamen alia in defuetudinem abiisse, alia in multis deficere, neque per illa huiusmodi incommodis, damnis, & fraudibus, illarumque periculis sufficienter provideri animadvertentes; & ex Annalibus sacrae Historiae Romanam Ecclesiam olim Archivium publicum sub nomine Cartophilacii habuisse, & Cartophilacii Officium magnae dignitatis, & auctoritatis apud eandem Romanam Ecclesiam, & Sedem Apostolicam extitisse, memoria repetentes; & praemissis, quantum in Nobis est, occurrere cupientes, nulla alia ratione, satius praedictis nostris Subditis, & aliis omnibus, quam per erectionem Archivi publici, & generalis in dicta Urbe, ad quod Instrumenta publica, & alia Scripturae per eundem Urbis Notarios, & alios infrascriptos rogata pro tempore deferri, & in eo aservari debeant, consultum iri censeamus, pro earumdem Urbis, & Romanae Curiae ornamento, & Instrumentorum, ac Scripturarum tuta, & perpetua conservacione, nostrorum Subditorum, & aliorum securitate, ac publica, & privata omnium utilitate ad erectionem huiusmodi devenire decrevimus.

Archivium Urbanum instituit;

Eique Cardinalem praeficit;

Ac Conservatorem.

§.2. Motu igitur proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & mera deliberatione nostris, ac de Apostolicae potestatis plenitudine Archivium generale Urbanum nuncupandum sub protectione, & suprema superintendencia dilecti Filii Francisci S. Agathae Diaconi Cardinalis Barberini nuncupati, nostri secundum carnem ex fratre germano Nepotis, ejus vita durante, & post illius obitum unius ex ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus per pro tempore existentem Romanum Pontificem ad id specialiter deputandum, in dicta Urbe, in loco prope Plateam Principis Apostolorum de Urbe nuncupatam per Nos designato, & pro ejusdem Archivi generalis bono regimine, & administratione unum Conservatoriae ejusdem Archivi generalis officium pro uno Clerico, vel laico Utriusque Juris Doctore, vitae, ac morum probitate, & experientia praedito, ac aliis sufficienti, & idoneo Conservatore Archivi generalis Urbani nuncupando, ad nostrum, & pro tempore existentis Romani Pontificis nuntium ponendo, & amovendo, cum infrascriptis, & aliis omnibus, & singulis privilegiis, facultatibus, honoribus, praeminentiis, & oneribus in Capitulis per dilectum filium nostrum Antonium dictae Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyterum Cardinalem S. Honorii nuncupatum, de mandato nostro subscriptis expressis, & aliis etiam per pro tempore existentem Archivi generalis huiusmodi Superintendentem Cardinalem quocumque ampliandis, moderandis & declarandis, apostolica auctoritate, tenore praesentium perpetuo erigimus, & institumus: illique sic erecto, & instituto pro ejus

dote, ac illud pro tempore obtinentis sustentatione, salario, & emolumento, summam in particulari Chirographo etiam hodie manu nostra subscripto, ex taxis, ac omnibus juribus, obventionibus, emolumentis, & aliis regalibus in dictis Capitulis contentis, & specificatis designandam, dicta auctoritate etiam perpetuo applicamus, & appropriamus, ac ex nunc applicatam, & appropriatam fore, & esse volumus, & declaramus.

§.3. Itaut liceat eidem Conservatori pro tempore existenti per se, vel alium ad id ab eo deputandum summam sic applicatam, & appropriatam ab iis, ad quos pro tempore spectabit, exigere, recipere, & retinere, ac in suos usus, & utilitatem convertere, nostra, vel Romani Pontificis pro tempore existentis licentia desuper minime requisita.

§.4. Ac ut praedictum officium sic erectum & institutum, illudque pro tempore obtinens amplioribus per Nos favoribus, & gratiis decoretur. Quod pro tempore existens Conservator d. Archivi nostri, ac pro tempore existentis Romani Pontificis verus, indubitatus, & non fictus familiaris continuus Commensalis, aliorumque familiarium, & continuorum Commensalium numero, & consortio adscriptus, & aggregatus eo ipso existat, & Vestes violacei coloris ad instar nostrorum Cubiculariorum honoris nuncupatorum gestet, illisque arbitrio suo utatur; ac in signum verae, & indubitatae, ac non fictae familiaritatis huiusmodi singulis diebus ex Palatio Apostolico Panem ejusdem quantitatis, & qualitatis, prout dilectis filiis in utraque Signatura nostra Referendaris dari consuevit, habeat, decernimus, & Panem huiusmodi dietim sibi ex dicto Palatio dari mandamus.

§.5. Ad Archivium autem generale praedictum omnia testamenta, fideicommissa, legata, codicillos, donationes causa mortis, & alias ultimas voluntates a quibusvis Notariis publicis Urbis, etiam eorum officia titulo oneroso a Nobis, & Sede praedicta, ac Camera Apostolica habentibus, necnon Parochis ejusdem Urbis, tam in ipsa Urbe, quam extra eam quomodolibet recepta, & rogata, ac super venditionibus, & venditionum resolutionibus, & rescissionibus, cessionibus, renunciationibus, transactionibus, divisionibus, in solum donationibus, permutationibus de & super bonis, & rebus immobilibus factis, necnon censibus, & eorum extinctionibus, feudis, subfeudis, ac in emphyteusim, livellum, aut sub annuo censu, canone, vel alia responsione concessionibus, inter vivos donationibus, infuacionibus, dotibus, & pactis dotalibus, hereditatum aditionibus, repudiationibus, & inventariis, emancipationibus, adoptionibus, arrogationibus, Jurispatronatibus irrevocabilibus, & ad vendendum, & donandum procuracionum mandatis, fidejussionibus perpetuis, ac alia instrumenta in capitulis praedictis latinis descripta, & adnotata, & per

Cui salarium assignat.

Et privilegia hic recentia concedit.

Omnia omnino publica Instrumenta ad hoc Archivium jubet deferri.

& per quosvis Notarios Urbis praedictos, tam in Urbe, quam extra eam quomodolibet, ut praefertur, recepta, & rogata sub modo, & forma in eisdem Capitulis praescriptis, & ordinatis deferri, & in eo respective recipi, annotari, ac diligenter, & perpetuo conservari, & custodiri debere volumus, praecipimus, & similiter mandamus.

Conservatorem deputat.

Eique, alisque superintendentibus facultates hic enumeratas tribuit.

§.6. Postremo dilectum filium Camillum Perinum Clericum Florentinum utriusque Juris Doctorem apud Nos de literarum scientia, vitae, ac morum honestate, aliisque probitatis, & virtutum meritis multipliciter commendatum horum intuitu specialis gratiae favore prosequi volentes, eundem Camillum, de cuius fide, doctrina, prudentia, & in similibus experientia plurimum in Domino confidimus, in Conservatorem dicti Archivi generalis ad nostrum, & dictae Sedis beneplacitum Motu, & auctoritate paribus constitutum, & deputamus. Franciscus vero Cardinali, ac aliis dicti Archivi generalis, ut praefertur, deputandis Superintendentibus, & Gubernatoribus Edicta, Bannimenta, & Proclamationes praedictum Archivium generale, vel illius negotia pro tempore quomodolibet concernentia sub suo nomine, ac sub poenis etiam corporalibus sibi benevisis, quoties opus, fuerit publicandi, ac pro tempore emanata declarandi, interpretandi, ampliandi, & innovandi, ac executioniemandari faciendi, prout eidem magis expedire visum fuerit; necnon omnes causas civiles, criminales, & mixtas super praemissis, & illorum occasione pro tempore motas, ac appellationum, reclamationum, recursuum, ac in integrum restitutionum a sententiis, decretis, & gravaminibus per praedictum Camillum, & pro tempore existentem Conservatorem dicti Archivi generalis latis, promulgatis, seu quomodolibet illatis, cum omnibus, & singulis incidentibus, dependentibus, annexis, & connexis, totisque negotiis principalibus, etiam privative quoad omnes alios, manu regia, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicii, ac tela iudiciaria minime observata, ac omni, & quacumque appellatione, recurso, vel restitutione in integrum remotis, per se, vel alium, aut alios a Francisco Cardinale, & pro tempore existente Superintendente, & Gubernatore dicti Archivi generalis deputandos audiendi, cognoscendi, sineque debito terminandi, & decidendi, aliaque omnia, & singula, quae ad ipsius Archivi generalis directionem, ac rectam, & facilem administrationem, & gubernationem pertinent, & alia circa praemissa necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna ordinandi, mandandi, faciendi, gerendi, exercendi, disponendi, & exequendi plenam, & omnimodam potestatem, auctoritatem, & facultatem concedimus, & impartimus.

Clause pro praefacium. Literarum summate.

§.7. Decernentes eadem praesentes, etiam ex eo quod Notarii, & eorum Collegia, quibus Officia, & Scripturae titulo oneroso, vel alias per Nos, & Romanos Pon-

tifices Praedecessores nostros, distamque Camera Apostolicam concessa reperitur, vocati, & auditi non fuerint, vel ex eo quod praemissa nulla causa subsistente, & etiam de facto processerint, aut ex alia quantavis juridica, & legitima etiam necessario exprimens causa, vel quocumque praetextu, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, vel quovis alio defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, & ad terminos juris reduci, aut in jus, vel controversiam revocari, seu adversus illas quocumque juris, gratiae, vel facti remedium impetrari, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concedi, vel sub quibusvis Constitutionibus, & Cancellariae Apostolicae regulis editis, & edendis, ac Literis Apostolicis in contrarium etiam pari motu, ac consistorialiter emanatis, aut quibusvis aliis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi nullo unquam tempore posse, sed semper ab illis excipi, & quoties illae emanabunt, toties in pristinum, & eum, in quo antea erant, validissimum statum, restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per pro tempore existentes Cardinalem Superintendentem, & Conservatorem dicti Archivi generalis quocumque eligenda concessas, validasque, & efficaces, etiam quod in dicta Camera Apostolica nullo unquam tempore praesentarentur, aut registrarentur, fore, & esse.

Exequutorum designatio.

§.8. Sicque, & non alias per quoscumque Judices, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & Camerae Apostolicae Praesidentes Clericos, ac etiam ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Camerarium, & alios Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & desiniri debere, irritum quoque, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.9. Quocirca dilectis filiis Urbis nostrae Gubernatori, & causarum Curiae dictae Camerae generali Auditori, & dilecti filii nostri in eadem Urbe, ejusque districto Vicarii in spiritualibus Generalis in civilibus causis Locumtenenti motu pari per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes Literas, & in eis contenta quacumque ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte Francisci Cardinalis, & Camilli praedictorum, ac pro tempore existentium dicti Archivi Protectoris, & Conservatoris fuerint requisiti, solemniter publicantes, illisque efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant eisdem praesentes, & in eis contenta huiusmodi ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit firmiter, & inviolabiliter observari; ac Franciscum Cardinalem, & Camillum, ac pro tempore existentes Protectorem, & Conservatorem huiusmodi illis pacifice frui,

Dat. die 27.
Octobr. 1625.
An.III.

tentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Romæ apud S. Mariam Majori anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, sexto Kalendas Novembris, Pontificatus nostri Anno III.

Anno a Nativitate D. N. Jesu Christi 1626. Indi. 9. die vero 27. mensis Januarii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Urbani divina providentia Papa Octavi anno eius tertio retroscripta Litera Apostolica lecta, affixa, & publicata fuerunt ad valvas Basilicarum Sancti Joannis Lateran. Principis Apostolorum de Urbe, Cancellaria Apostolica, & in acie Campi Flora, dimissis ibidem præsentibus Literis per aliquantulum temporis spatium, ut moris est, affixis, & deinde amotis per nos Pompejum Girancortes & Brandimartem Latinum prælibati Sanctissimi D. Papæ Cariores, &c.

Octavius Spada Mag. Curs.

Retroscripta Litera Apostolica registrata fuerunt in quinterno Cancellaria Apostolica Anno Incarnationis Dominicæ 1625. die vero quarta mensis Februarii Pontificatus SS. D. N. Urbani divina providentia Papæ Octavi, Anno III.

Marcus Antonius Ascensus Cancellaria Apostolica Procustos.

CLIII.

Indultum, quod Fratres Discalceati B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Officium, & Missam de Communi Confessoris non Pontificis recitare possint de S. Raymundo d. Ordinis, dum vixit, professore, & Procuratore generali, ac S. R. E. Cardinale in die suæ festivitatis.

De hoc Ordine vide ad Const. XLII. Greg. IX. Devotionis Tom. III. fol. 284. & ejusdem Privilegia confirmavit hic Pontifex, ut inf. Ex clementi.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

S Alvatoris, & D. N. Jesu Christi, qui servos suos aeternæ gloriæ præmio donat in cælis, vices quanquam immeriti gerentes in terris, ex injuncto Nobis desuper pastoralis officii debito procurare tenemur, ut eorundem Servorum Christi debita veneratio in dies magis promoveatur, laudeturque Dominus in Sanctis suis. Quamobrem fidelium quorumlibet, præsertim verò sub suavi Religionis jugo Altissimo famulantium, votis, quæ peculiarem Sanctorum hujusmodi cultum respiciunt, li-

benter annuimus, prout conspiciamus in Domino salubriter expedire.

§.1. Sane dilectus filius Didacus de Sancto Raymundo Procurator generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum nuncupatorum B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum Nobis nuper exponi fecit, quod Fratres prædicti pro eo, quem erga S. Raymundum Nonnatum ejusdem Ordinis, dum vixit professorem, ac S. R. E. Cardinale, gerunt devotionis affectu, & ad augen. Christi fidelium erga illum devotionem, Officium, & Missam de eodem S. Raymundo, ut infra, recitari, & celebrari posse summpere desiderant; Nobis propterea idem Didacus totius Ordinis hujusmodi nomine humiliter supplicari fecit, ut de opportuna ad hoc licentia providere de benignitate apostolica dignaremur.

§.2. Nos igitur piis Didaci, & Fratrum prædictorum votis in præmissis annuere, illosque specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa la-tis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio; Ut de eodem S. Raymundo die ejus festo Officium, & Missa de Communi Confessoris non Pontificis juxta Rubricas Missalis, & Breviarii Romani ab omnibus prædicti Ordinis utriusque sexus regularibus personis tantum recitari, & celebrari respective, libere, & licite possit, & valeat, apostolica auctoritate, ten. præsentium licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Volumus autem, quod præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 5. Novembris 1625. Pontificatus nostri Anno III.

Procuratoris Gen. Ordinis preces.

Indultum, de quo in Rubrica.

Derogatio contrariis.

Fides danda transumptis.

Dat. die 5. Nov. 1625. An. III.

Quod

CLIV.

Ex Regest. in Secret. Brevis.

Quod in Principatu Cathalonie, ac Comitatu Rossilionis, & Ceritanie servetur Constitutio Gregorii XIV. super Immunitate Ecclesiarum.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis in Principatu Cathalonie, & Comitatu Rossilionis, & Ceritanie pro tempore constitutis.

URBANUS PAPA VIII.

Ven. Fratres salutem, & apostolicam benedictionem.

Immunitate ecclesiastica, his in locis facinorosi homines abutuntur.

§.1. Exponi Nobis nuper fecit carissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus, quod in Principatu Cathalonie, ac Comitatu Rossilionis, & Ceritanie, ex antiqua illorum consuetudine, seu potius abusu, delinquentes, qui ob excessus ab eis perpetratis ad Ecclesias, & loca pia confugiunt, & inde extracti, si privilegio immunitatis gaudere debere declarantur, non solum a delictis, & excessibus, ob quos confugiunt, ut præfertur, & super quibus controversitur, an dicto privilegio gaudere debeant; sed etiam a criminibus, excessibus, & delictis per eos alias commissis absolvuntur; Necnon in Principatu, & Comitatu prædictis multi laici facinorosi reperiuntur, qui post perpetrata ab eis cum maximo Christi fidelium scandalo, damno, & confusione, gravissima, & atrocissima delicta, ut ministromum justitiæ manus, debitaque suorum scelerum pœnas effugiant, ad Ecclesias, & loca pia confugiunt, eorumque immunitate securitatis spe freri perniciosè abutentes, ecclesias, & loca pia hujusmodi tamquam domos proprias inhabitant, illorumque bona, & redditus interdum usu nefario consumunt, quo fit etiam, ut in plerisque locis mulieres, perditorum hominum hujusmodi timore perterritæ, ad easdem ecclesias pro sacrosancto missæ Sacrificio audiendo minime accedant. Quare idem Philippus Rex ut tam enormibus malis aliqua ratione obviam eatur, sublatisque abusibus hujusmodi Christiani fideles ibi existentes in pacis amœnitate reddant Domino abundanter fructus suos, nobis humiliter supplicari fecit, ut super præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Urbanus jubet Gregorii XIV. Constitutionem servari.

§.2. Nos igitur piis ejusdem Philippi Regis votis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati vobis, & vestrum cui-libet, apostolica auctoritate, tenore præsentium, districte præcipimus, ut in vestris Civitatibus, & Diocesis, abusibus hujusmodi sublatis, Constitutionem fel. rec. Gregorii Papæ XIV. Prædecessoris nostri super immunitate Ecclesiarum exacte observetis: eamque ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet Bull. Rom. Tom. V. Par. V.

libet spectabit in futurum; observari curetis; Delinquentes vero ad Ecclesias, & loca pia, quæ juxta sacrorum canonum dispositionem immunitate hujusmodi gaudere debent, confugientes, ac immunitate ecclesiastica juxta Constitutionis prædictæ dispositionem gaudentes, quod in Ecclesiis, & locis piis prædictis ultra octo dies permanere, seu degere non valeant, auctoritate, & tenore prædictis declaramus. Quare vobis, & vestrum cui-libet districte mandamus, ut laicos, quibus dicta immunitas vigore Constitutionis hujusmodi conceditur, ad Ecclesias, & loca pia ob delicta per eos commissa pro tempore confugientes moneatis, ut durante octo dierum hujusmodi spatio ab Ecclesiis, & locis piis hujusmodi omnino recedant: sin minus vobis, & vestrum cui-libet, ut illos lapsis eisdem octo diebus Curia seculari consignare possitis, & valeatis, concedimus, & indulgemus, ita ut inde ad mortem non damentur, sed in consignatione hujusmodi membrum, & vitam obtinere debeatis.

§.3. Decernentes, præsentis Literas de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, seu quovis alio defectu notari, vel impugnari, ullo unquam tempore nullatenus posse; sicque per quoscumque Judices, & commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales sublata eis, & eorum cui-libet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ac auctoritate, judicari, ac definiti debere: ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac generalis Concilii, & quibusvis aliis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & exemptionibus apostolicis, etiam secularibus, & regularibus personis, Ordinibus, Monasteriis, Ecclesiis, & aliis locis sacris, necnon Congregationibus, & Superioribus eorundem, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis etiam irritantibus, & aliis quomodolibet etiam iteratis vicibus innovatis, concessis, & approbatis. Quibus omnibus, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum infererentur, præsentibus pro expressis, & insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat ad effectum præsentium specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Præsentibus, quoad indultum hujusmodi, ad quinquennium tantum valituris.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, Die 12. Novembris 1625. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Clausula.

Derogatio contrariis.

Dat. die 12. Nov. 1625. An. III.

B B B

Indul.

nores haberi volumus pro sufficienter expressis, ceterisque contrariis quibuscumque. Et quia difficile esset earumdem praesentium notitiam ad singulos Notarios, aliasque personas Civitatum, Terrarum, Castrorum, & Locorum hujusmodi pervenire, & ubique illas affigi, vel intimari, etiam motu, & scientia similibus volumus, & decernimus, quod illarum transumptis, etiam per impressionem factis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo dictae Ecclesiae, aut alicujus Praelati, vel personae in dignitate ecclesiastica constituta sigillatis, ea prorsus fides indubia in iudicio, & extra, ac alias ubilibet adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae, vel ostensa. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 10. Martii 1628. Pontificatus nostri Anno III.

Easque confirmavit Clemens Papa Octavus.

Iterum approbat Urbanus.

Obstantium derogatio.

Dat. 17. Novembris Anno III.

Re Regis in Secretis Brevis.

Super subsidio duodecim millionum ab Incolis Regni Castellae Regi Catholico persolvendo.

Carissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Carissime in Christo fili noster salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Philippi IV. Regis erga Ap. Sedem merita.

Orthodoxae fidei conservandae zelus, ac singularis in nos, & Apostolicam Sedem devotio, aliaque Catholici cogno-

mine optimo jure insigniti Regis praclarata merita, quae in maiestate tua caelesti gratia resplendent, plane exigunt, ut subsidia pro ejusdem fidei defensione a tuis subditis prompte tibi oblata, quantum cum Domino possumus, adjuvemus.

§.1. Cum itaque, sicut accepimus, subditi regnorum tuae Coronae Castellae in novissimis Comitibus sive curiis habitis animadvertentes, maiestatem tuam pro ejusdem Religionis defensione, & obedientiae erga Sanctam Romanam Ecclesiam conservatio- ne, in tuis, & exteris Ditionibus, ac Regnis gravissimis assidue sumptibus urgeri, tuaque aeterna pene exhausta esse, ita ut nisi aliquo eorumdem subditorum extraordinario subsidio subleveris, eosdem sumptus in tam laudabilem, Deo gratam, & Reipublicae Christianae utilem causam convertendos, diutius ferre difficile possis, quaedam superadditionalia nuncupata servitia, sive subsidia, quae in totum summam duodecim millionum nummorum aureorum sex annorum spatio, duorum scilicet pro quolibet anno, persolvendam conficere debeant, ex gabella Sisa nuncupata, super sale, cartha, tam impressa, quam non impressa, cujuslibet generis, necnon anchoraggio, & aliis forsitan rebus mobilibus, ac etiam stabilibus in dictis regnis vendendis, & respective consumendis imponenda, per ementes, & vendentes solvenda, praestare prompte obtulerint, omnesque laici cujuscumque gradus, status, conditionis, & praecipuae eadem subsidia contribuere, & gabellam solvere debeant, neque ullus immunis sit aut exemptus; tuaque Maiestas nobis haec significaverit.

Incolae Regni Castellae subsidium 12. millionum aureorum sponte offerunt.

§.2. Nos promptam, & devotam eorumdem Regnorum, & subditorum tuorum in te voluntatem, qui facultates suas pro catholicae fidei defensione conferre intendunt, commendantes; quia sicut etiam accepimus, si tantummodo laici subsidia hujusmodi contributorent, & gabellam, seu sifam praedictam solverent, nimis longo tempore summa praedicta conficeretur, & laicorum facultates ad summam hujusmodi duodecim millionum, ut praefertur, conficiendam minime suppetunt, difficileque admodum est, Ecclesiasticos a laicis in gabella hujusmodi solutione secerne- re, eadem subsidia per ecclesiasticas personas adjuvanda, gabellaeque, seu sifae aequaliter persolvendas, ut infra sequitur, existimavimus.

Quod ut celerius illeconsequatur.

§.3. Motu itaque proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolica potestate plenitudine, omnes & singulas ecclesiasticas personas, tam seculares, quam cujusvis Ordinis etiam exempti, & Apostolicae Sedi immediate sub- jecti regulares, necnon Monasteria utriusque sexus, Conventus, & Collegia, ac Capitula Ecclesiarum Regnorum Castellae praedictorum, & in eisdem Regnis com- moran. & consisten. ad conferendum, & contribuendum proportionabiliter, & non alias, prout laici, in dictis subsidiis mediante solu-

Indulget Urbanus ut ab Ecclesiasticis quoque praestetur.

solutione gabella, seu sifae, eorumdem subditorum causa super sale, charta cujusvis generis tam impressa, quam non impressa, in Regnis praedictis introducendis, seu confectis, vel productis, & vendendis, nec non unius pro centenario aliarum rerum mobilium, & se moventium, ac stabili- um patrimonialium tantum, non autem Ecclesiarum, neque super aliis rerum speciebus, super quibus olim gabella, seu sifa decem & octo millionum nummo- rum similiter aureorum aliasque imposita, & per sel. rec. Paulum PP. V. praedecessorem nostrum ad Ecclesiasticos ad certum tem- pus extensa, & per Nos nuper prorogata reperitur, sub certis modo, & forma tunc expressis, imponenda, seu forsitan imposita, & durante tamen sexennio proximo dumtaxat, & non ultra teneri, & obligatos esse: ita tamen quod si ante sexennium hu- jusmodi finem praedicta summa duodecim millionum nummorum confecta fuerit, Ecclesiastici praedicti amplius contribuere, & dictam gabellam, seu sifam, ut praefertur, solvere non debeant, ac praesens gratia nulla sit eo ipso, decernimus, & declaramus.

Eosque ad id per Ordinarios locorum posse compelli.

§.4. Decernentes etiam, quod omnes, & singuli ecclesiastici praedicti solvere recu- santes, opportunis juris, & facti remediis per Ordinarios locorum tantum ad solutio- nem hujusmodi cogantur, non autem coram Iudicibus laicis, sive exactoribus ejusdem gabella, seu sifae, neque quibuslibet aliis Iudicibus, aut ministris secularibus sub poena excommunicationis majoris, nec non aliis poenis a sacris Canonibus, & Con- stitutionibus Apostolicis inflictis, & com- minatis, ipso facto incurrendis: a quibus praeterquam a Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, etiam vigore quo- rumcumque privilegiorum, etiam Crucia- tae sanctae, nullatenus absolvi queant, con- veniri nullo modo possint, seu debeant, sed a praedictis Ordinariis Ecclesiasticis tan- tum ad solutionem hujusmodi compelli valeant.

Qui tamen curare debent ne nimis li- graventur.

§.5. Quibus Ordinariis districte praeci- piendo mandamus, ut divini Iudicii me- mores, ne ecclesiastici indebite, & plusquam laici, nec ultra continentiam nostrarum Litterarum graventur, super quo eorumdem Ordinariorum conscientiam oneramus, omnino provideant.

Recusantes vero debent ad solutionem compelli.

§.6. Et contra eosdem ecclesiasticos re- culantes, ac regulares, & exemptos, nobisque, & Apostolicae Sedi immediate sub- jectos ad quamcumque simplicem eorumdem exactorum requisitionem exequentive, quacumque appellatione remota, auctoritate nostra procedant. Volumus autem ut pecunia ex praedictis subsidiis, & gabella, seu sifa, ut praefertur, a dictis ecclesiasticis per- cipien. in alios usus quam Catholicae Reli- gionis defensionis, ac bellorum contra haereticos, aliosque catholicae fidei hostes, & obedientiae erga S. R. E. conservationis, pro quibus, ut praefertur, contribuuntur, nul- latenus convertantur, super quo Maiestatis tuae conscientiam oneramus.

Bull. Rom. Tom. V. Par. V.

§.7. Non obstantibus regnorum praedi- torum statutis, & consuetudinibus, ac or- dinibus apostolicis, etiam in quibusvis ge- neralibus Conciliis editis, privilegiis quo- que, indultis, & literis apostolicis Regnis, personis, monasteriis, conventibus, col- legiis, & aliis praedictis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritan., & aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quo- modolibet concessis, confirmatis, & in- novatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatio- ne de illis, eorumque totis tenoribus specia- lis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clau- sulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda esset, illo- rum omnium, & singulorum tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore perman- suris, hac vice dumtaxat specialiter, & ex- presse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Cum obstantium derogatio.

§.8. Ut autem praesentes nostrae litterae, cum opus fuerit, ad omnium notitiam faci- lius devenire possint, decernimus, ut earum exemplis etiam impressis manu nota- rii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitu- tae munitis, eadem prorsus fides in iudicio & extra ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si fuerint exhibitae, vel ostensa: Quodque gabella, seu sifa unius pro centenario, bona tam stabilia, quam mobilia, & se moventia, quae ab ecclesiasticis, seu aliis personis nomine, & ad favorem, & commodum Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, vel aliorum piorum locorum, seu etiam prae- via super hoc opportuna licentia in eviden- tem ipsarum Ecclesiarum utilitatem, vel alias quovis modo permutari, & respecti- ve acquiri contigerit, nullatenus ex quavis causa comprehendat, seu ad illa se exten- dat, neque exigatur, alias praesentes nulla sint eo ipso.

Transumptis danda fides.

Dat. die 23. Novembris 1625. An. III.

Dat. Romae apud Sanctam Mariam Ma- jorem sub Annulo Piscatoris die 23. No- vembris 1625. Pontificatus Nostri An- no tertio.

Ccc

Con